

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 63. (Neovidensis 1807. Nro. 60.)

---

*Secretum litterarum commercium vivos inter  
ac mortuos.*

Epistola missa ad Leopoldum Schönberg  
de Brenkenhoff.

Ex mundo superiore.

---

Elysium - Meum. - Die Veneris 7. Augusti 1807. (Neovid. 24. Iulii.)

---

*Supreme excubiarum Magister !*

**B**ellum nequit nunc inter paradoxa referri, profecto difficile foret nostra aetate scribere belli paradoxa. Victoria serius, aut citius semper ab una parte stetit, peperitque politicam Regnorum mutationem. Ita confecta pax Chronopoli novam rerum producet faciem; Iste fuit constans effectus praesentis belli.

Solus Rex Sveciae bellum gerit in Pomerania Svecica; estque ultimus foederatus Angliae in continente, quod maximum diei potest paradoxum.

Quinque mille viri ex legione Germanica appulerunt in insulam Rugiam. At Generalis Blücher cum suis Borussis numero 7 mille, Stralsunda discessit. Interim Galli Stralsundae appropinquantes exteriores excubias profligarunt, munimenta ceperunt. Mareschallus Brunne consistit Grimmii.

Imperator Napoleon die 13. Julii Regiomonto profectus est Galliam versus, die 14. secutus eum est Princeps Beneventanus, Minister negotiorum externorum. Die 17. venit Caesar Dresdam, cui Rex Saxoniae Budissam usque obviam processit, ambo dein eodem curru vecti ingressi sunt Dresdam.

Dresda accepimus praecipua pacis puncta Chronopoli conclusae; in sequentibus autem consistunt:

Borussia cedit omnes provincias in divisione Poloniae obtentas Regi Saxoniae, qui eas sub titulo Ducis Varsoviae gubernabit; Polonis sua dictabitur constitutio. Russi retinent suam Poloniam, cui praeterea adjicitur regio ducentorum circiter millium incolarum ex Borussica Polonia.

Dantiscum erit Civitas Hanseatica sub clientela Poloniae, habebitque pro territorio possessiones ad duo millia in circuitu extensas.

Borussia cedit quoque provincias in sinistra Albis ripa sitas, incluso Magdeburgo.

Princeps Hieronymus Bonaparte fit Rex Vestphaliae obtentis omnibus provinciis, quas Rex Borussiae in sinistra Albis ripa tenebat; Elector Hassiae, Dux Brunsvicensis, et Princeps Arausionensis amissis suis provinciis donantur pensione; Hae autem eorum possessiones adjiciuntur Regi Vestphaliae, Principi Hieronymo.

Rhenana Confoederatio sarta, tecta que conservabitur. Atque haec sunt praecipua capita pacis Chronopolitanae, reliqua nondum liquent.

Quid ad haec Anglia? Ultimae relationes Londinenses de 10. Julii continebant repugnantia. Tanquam certum affirmabatur, die 9. hujus datum esse mandatum a Collegio rei maritimae, ut copiae navibus dimissae, illico revocentur, nullae aliae navibus imponantur, nec accedant ad littora; facta enim, quae in continente evenerunt, sunt certa indicia pacis, qua de causa pretium pecuniarum publicarum auctum est.

Contra Ministeriales ephemerides asserunt, nec revocatas esse, quae jam abiverunt, copias, nec retardatas, quin potius tertiam expeditionem heri vela solvisse.

Rerum autem novarum commentarii *True Briton* dicti, lectis novissimis ex Contiente allatis rumoribus in hunc modum loquuntur: Post decem dierum incertitudinem, inter spem, et metum positi tandem intelleximus desperatum rerum nostrarum in Contiente statum. Summum attigimus infelicitatis gradum, pugna in Friedlandia commissa praevisa habuit consecutaria. — Die 21. Junii Russiam inter, et Galliam initae sunt induciae. — — Hac ratione bellum terminatum est, isthaec celeritas causam communem penitus evertit; transitus a summa spe ad maximam infelicitatem adeo fuit improvisus, ut malum nondum sentiamus, nec possimus aliud comprehendere, quam gravem animi stuporem, quo in statu nullum licet reperire consilium. Satis sit affirmare, nobis certissimum esse, Angliam usque ad 1. Januarii coactum iri ad pacem faciendam. Decretoria pugna commissa est, et amissa; De subjectione Europae nulla amplius subversatur quaestio etc.

Vindobonensibus litteris 16. Julii exaratis, comperimus Magnum Vezirium esse in castris capite plexum, eique suffectum Mustapham Bairactar, Praefectum Rudschuckensem.

Jam A. 1806. 12. Septembris de Janitscharis sequentia scripta sunt in publicis ephemeridibus.

Regnante Turcarum Imperatore Selimo III. erectum, et dein auctum est agmen, ex 30 millibus armatorum constans, quod more Europaeis usitato in armis exercetur, vestiturque. Milites isti discunt usum scloporum, et Bajonettarum aliaque tractant exercitia militaria, quibus sufficienter instructi mittuntur in limitanea munimenta. Alium hi deferunt vestitum, quam caeteri in turcico imperio milites. Finis hujus agminis est, ut non tantum possit hostibus efficacius resisti, sed etiam, ut Janitschari progressu temporis tollantur. Hoc enim genus hominum male moratum est, meticulosum, sine disciplina, ut adeo tempore belli plus obsint, quam prosint Republicae. Gaudent autem singularibus juribus, quibus privari nolunt. In urbibus eis liberum est quamcunque exercere artem, quin propterea debeant praestare aliquam contributionem. Immunes sunt ab oppressionibus Praefectorum, aliisque fruuntur praerogativis. Hinc multi cives erga certam persolutam summam inseruntur Catalogo Janitscharorum, quin unquam castra sequantur, per id tamen multa redimunt onera, et vexationes. Qui reipsa militant, potissimum tales sunt, qui nihil aliud possunt mereri, quam suum stipendium. Quapropter majoris partis civium utilitas exigit, ut tueantur praesens institutum Janitscharorum, novoque ordini, quo militare coguntur abque omnibus aliis praerogativis, semet opponant.

In tanta vero turcici regiminis infirmitate, et regnante in Provinciis Anarchia fieri potest, ut finem suum assequantur, cogant Imperatorem ad sufferendum novum militiae genus. Si turcicum gubernium melius esset ordinatum, si major vigeret vitae, et bonorum securitas, non adversarentur subditi erectioni militiae, quae ab eorum quoque captibus pericula averteret.

Die 7. ingens praelium initum est, ad Egernabaram Servios inter et Turcas, integra die pertinaciter pugnabatur, usque dum Servii vicissent. Turcae se trans fluvium Drinum retraxerunt.

A pluribus jam annis dimicant Serviani pro sua libertate, conanturque a suis cervicibus propulsare barbariem, quam experiri coguntur in Regno turcico, quicumque non profitentur religionem Mahomedanam, uti sunt Christiani, et Judaei; Turcae Christianus est homo doctrinae diviniore expers; qui libertatem uno adhuc anno vivendi censu capitis redimere debet. Serviani cum Turcis primum instituerunt velitationes, sed inde facti audaciores jam etiam agmina eorum fundunt. Triumphum saepe non multitudo procurat, sed fortitudo, audacia, et contemptus vitae.

Servia est Regnum accommodum geren-

do bello, tirones in arte bellandi adoriuntur veteranos; plena est montibus, et sylvis, alii fluvii eam circumdant, alii praeterfluunt; Incolae maximam partem componuntur ex Serviis, (Serbliis) vel Rascianis Graeci ritus, Slavonicum idioma loquentibus, qui, cum potissimum agriculturae, et rei pecuariae operam dant, corporis robore praestant, et animi alacritate. In Servia reperiuntur etiam nonnullae textrinae lanae, et Officinae coriariae. Mahomedani, hic habitantes, ferme omnes expulsi sunt. Numerus incolarum in territorio 920 quadratorum milliarium efficit 960 millia. Populus contentus factus est Turcis formidolosus, et quia nunc omnes adulti, foeminis agros colentibus, remque familiarem curantibus; arma gerunt, spes est fore, ut, quod intendunt, obtineant.

Servia suos olim habuit Principes, Despotas compellatos, verum hi omnes Saeculo 15 facti sunt Turcis tributarii; Nonnulli eorum subinde Domui Auetriacae suberant, sed A. 1739. omnia Turcis restituta sunt.

---

*Biographia.*

*A Brenkenhoff* (Leopoldus Schönberg) Regius Borusticus Supremus vigiliarum Magister, quondam Potsdami Generalis adjutor Principis Friderici Brunavicensis, natus Dessaviae A. 1750. In juvenili aetate stipendia meruit in turma praetoria Dresdae, celebritatemque nominis est adeptus editis variis eruditis operibus; praecipue commendari merentur ejus paradoxa de re militari, quorum jam tertia editio prodiit in lucem. A. 1789. publici juris fecit paradoxa in duobus tomis ad Pseudo-Philosophiam pertinentia: Quae etiam scripta militaria e gallico idiomate vertit, e quibus praecipua est dissertatio de instituendis levis armaturae copiis, earumque usu in bello cum 27 tabulis aeri incisis. Eximium hoc opus in suo genere est omnibus numeris absolutum, quod praeterea auctor doctis animadversionibus locupletavit. Brenkenhoffius A. 1794. renunciatus est Eques ordinis meritorum, Anno autem 1799. die 5. Octobris diem obiit supremum.

---